# DISSERTATIO
DE
# GEMINATIS ET SIMILIBUS
QUAE IN DIGESTIS INVENIUNTUR

CAPITIBUS

---

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
DOMINO

CAROLO AUGUSTO

MAGNO DUCE SAXONIAE, VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE, LANDGRAVIO THURINGIAE, REL.

CONSENTIENTE

ILLUSTRI JURECONSULTORUM ORDINE
ERUDITORUM EXAMINI

OFFERT

D. FRIDERICUS BLUHME

HAMBURGENSIS.

---

JENAE
TYPIS FROMMANNI ET WESSELHOEFTI.
MDCCCXX.

REIPUPLICAE HAMBURGENSIS

SENATUI AMPLISSIMO

OPUSCULUM HOC

QUALECUNQUE EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

# Caput Primum.

## Prolegomena.

### Sectio Prima: De iis, quae antea in hac re dicta sunt.

§. 1.

Necessarium videtur, ab iis dicendi initium sumere, quae Justinianum imperatorem de geminis similibusque monentem audimus. Nam cum de confirmandis Digestis utraque lingua proposuisset edictum, in illo, quod latine conscriptum est, haec verba leguntur: *)

„Si quid autem in tanta legum compositione, quae ab immenso librorum numero collecta est, simile forsitan raro inveniatur, nemo hoc vituperandum existimet; sed primum quidem imbecillitati humanae, quae naturaliter inest, hoc adscribat: quia omnium habere memoriam, et penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis est; quod et a majoribus dictum est. Deinde sciat, quod similitudo in quibusdam et his brevissimis adsumpta

*) Const. 2, §. 14 de vet. jur. enucl. (1, 17.)

non inutilis est, et nec citra nostrum propositum hoc subsecutum; aut enim ita lex necessaria erat, ut diversis titulis propter rerum cognationem applicari eam oporteat; aut cum fuerat aliis diversis permixta, impossibile erat, eam per partes distrahi, ne totum confundatur; et in his partibus, in quibus perfectissimae visiones *) veterum expositae fuerant, quod particulatim in eas fuerat sparsum, hoc dividere ac separare penitus erat incivile, ne tam sensus, quam aures legentium ex hoc perturbentur.“

Graecis autem verbis eadem fere dicta inveniuntur: **)

Εἰ δέ τι, πλήθους ὄντος τοῦ καὶ νῦν ἠθροισμένου, καὶ ἐκ τοσούτων μυριάδων συλλεγέντος, δόξειεν ἔχειν ὁμοίως· τοῦτο δὲ οἰόμεθα σπάνιον ἔσεσθαι, πλὴν ἀλλὰ τοῖς τῆς ἀνθρωπίνης ἐστοχασμένοις φυσέως, οὐκ ἔξω δικαίας ἀπολογίας οὐδὲ τοῦτο δόξειεν εἶναι· τὸ γὰρ διὰ πάντων ἀνεύθυνον, θείας ἂν εἴη μόνης, ἀλλ' οὐκ ἀνθρωπίνης ἰσχύος, καθὰ καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν εἴρηται· πλὴν ἔστιν, ὅπη καὶ τὴν τῶν ὁμοίων παρεδεξάμεθα θέσιν, ἢ τῶν ὑποκειμένων πραγμάτων τοῦτο ἀπαιτούντων, τὸ δεῖν ταυτὸ πλείοσιν ἐφαρμοσθῆναι τόποις, ἢ τοῦ συναναμεμίχθαι τινὶ ξένῳ τὸ δοκοῦν ὅμοιον τῷ πρόσθεν καὶ δύσκριτον αὐτῶν τὴν διαίρεσιν εἶναι, ἢ καὶ τῷ πολλάκις φυλαχθῆναι τὸ τῆς ὅλης θεωρίας συνεχὲς, καὶ μὴ διασπασθῆναι τὸν νοῦν τῇ τῶν ἤδη γεγραμμένων ἀφαιρέσει ῥημάτων· πλὴν καὶ τοῦτο εἶπον καὶ παρείληπται διὰ τὴν τοῦ πράγματος ἀνάγκην, ἀλλ' ἔστιν βραχὺ, καὶ οὐδεμίαν ἑαυτοῦ σχεδὸν παρεχόμενον αἴσθησιν.

*) Al. jussiones, decisiones, divisiones.

**) Const. 3, §. 13 eod.



## §. 2.

Nec unquam defuerunt, qui in similibus Digestorum capitibus investigandis eximiam navarent operam. De Graecis non dico, cum paratitla, quibus solis libros suos illustrari permiserat Justinianus, in Digesta conscripta non extent; quamquam non pauci magnae auctoritatis viri et sint et fuerint, qui Justinianum de solis similium capitum indicibus sensisse dicerent. Et sane magnum ejus rei argumentum esse videntur illa paratitla, quae in Codicem conscripta supersunt. Glossatorum autem, eorumque qui post eos vixerunt, tanta in his rebus fuit diligentia, ut vel nimiam fuisse recte quis diceret. Viderant nimirum, quantopere omnium, quae de eadem re dicerentur, collatione juvaretur juris interpretatio; cum principes Bononiensis scholae auctores, omnibus extraneis subsidiis destituti, ex solo jure juris cepissent intellectum, Ideoque, ut res ferebat, suis locis similia capita adducebant; discrimen vero, quod inter similia et geminata intercedit, rara inscriptionum integritate non facile poterat inspici.

## §. 3.

Tandem renatis bonis artibus, et aucta Iureconsultorum eruditione, extiterunt qui propriis commentariis rem dissererent. Quorum primus fuit Anto-

nius Augustinus *), qui etsi rerum copia a recentioribus victus, omnes tamen disponendi arte vicit. Nam sicuti princeps fuit, qui magnas etiam hac in re inscriptionum utilitates ostenderet, ita solus extitit, qui geminata capita a similibus separaret; in judicio autem de Triboniani meritis et erroribus faciendo nullo studio abreptus, quod res ipsa dare videbatur, indicavit.

§. 4.

Post Augustinum Pratejus **) extitit, longus exemplis, sed ridiculus et fastidiosus sententiis. Nihil intendere, quam carpere Tribonianum ejusque socios; omnia pariter negligentiae atque desidiae adscribere, nihil consilio ac voluntati. Praeterea multa similia esse dixit, quae toto coelo erant diversa; ordinis vero nullam habuit rationem, ut qui in ejus librum incidit, miser in alto absque cynosura fluctuare videatur. Denique, cum de repetitionibus ab aliis commissis satis acerbe queri et clamare nunquam posse putet, quis possit esse Pratejo molestior, qui suas ipse querimonias centies iisdem fere verbis repetitas cecinerit?

§. 5.

Guido Panciroltus ***) eadem tractavit, et

*) Emend. et opin. Lib. I, cap. 7; quae primum prodierunt Venet. 1543. (*Otton.* thes. T. IV.)

**) *Pard. Prateji* jurisprudentia media. 1560. (*Otton.* thes. T. III, p. 511. sqq.)

***) *Guid. Panciroli* thes. var. lectionum, Venet. 1610. fol. Lib. I, cap. 78. (*Heinecc.* jurispr. Rom. et Attica Tom. II, p. 1078—1086.)



quantum conjectura assequi licet, viso Prateji libello. Nam cum jam ex anno 1547 juris antecessor fuisset, tamen quae de repetitis juris sententiis scripserat, tum demum typis excusa prodierunt, cum jam undecim ante annis vitae ereptus esset. Quod si illa ipsa, quae protulit, inspicias, videbis eum in exordio monentem, partem jam ab aliis esse collectam, se autem nonnullis additis, omnia ordine esse dispositurum. Quod sane ad Pratejum commodius, quam ad solum Augustinum referri posse videtur. Sed tamen aliquid dubitationis inde supererit, quod non solum complura frustra a Pratejo prolata omittit, sed etiam unum alterumve non sine ratione similibus capitibus adnumeratum. *) Nec video, quid Ev. Ottonem adeo de ea re certum facere potuerit, ut is Pancirolum post Pratejum scripsisse simpliciter affirmaret. **) Ceterum Pancirolus contumeliis etiam abstinuit, res autem auxit. Nam quae collegit exempla, in hosce quatuor disposuit articulos:

1. In Codice repetita jura.
2. Jura Pandectarum in Codice repetita.
3. Jura in Pandectis geminata.
4. Jura, quae in jure Potificio repetuntur.

In postremo genere solus extitit, in ceteris nova complura attulit. Nam Codicem Augustinus vix di-

*) Exemplo erit fr. 4 Tut. Dat. (26, 5) de quo infra cap. III. sub Nr. 54 dicetur.

**) Vid. quae praefatus est *Otto* tom. III. thesauri, pag. 33.

gito attigerat, Pratejus perquam leviter perstrinxerat. Et si non Augustinei ordinis rationem noster servavit, tamen aliquid fecit, cum librorum, de quibus tractabat, ordinem sequeretur. Sane hoc modo duplex vel etiam triplex locus cuique exemplari proponendo erat relictus; nec raro accidit nostro Guidoni, ut ipsas geminationes geminaret.

§. 6.

Accidit autem, ut Prateji tractatus plus aequo hominum animos excitaret. Extiterunt complures viri, defendendi Triboniani causa, quorum nomina indicasse sufficiat. Neque enim video, quae tandem utilitas ex ejusmodi libellis possit sperari, qui omnes pariter ostendunt, quod res ipsa docet, multa, quae Pratejus reprehenderat, aut omnino, ut certe frustra non esse repetita. Nam nova similia proponere, tanquam sacrilegium veriti esse videntur. Sunt autem hi:

1586. Gregorius Lopez de Madera animadvers. juris cap. 36. De geminationibus et omissionibus in Pandectis non reprobandis. (Otton. thes. Tom, III, p. 500—502.)

1734. Guilielm. Pauw Diss. inaug. ad varia juris civ. capita, cap. I. De geminationibus, sive earundem legum repetitionibus, contra Pratejum. (Oelrichs. thes. diss. Vol. I. T. I, p. 110—117.)

1768. Nic. Guil. Hartmann Diss. de geminationibus, sive earundem legum repetitionibus in libris juris civilis. L. B. 1768. 4. Hartmanni libellum invenire, nondum contigit mihi, de argumento ejus satis certo, cum Schottius in libro: *unpartheiische Critik*, T. II, p. 68—72, fuse ac copiose de hoc ipso dixerit.



§. 7.

Superest, ut de nominibus videamus, quibus res, de qua agimus, antea fuerit appellata. Namque usu venit, omnes istas eorundem similiumque capitum repetitiones promiscuo geminationum vocabulo significare. Quodsi de medio aevo quaeramus, Pratejus cap. 127. refert Bartolum dicentem, capita certa „de verbo ad verbum duplari;" quae tamen ipsa capita *) a diversis Jureconsultis scripta sunt. Augustinus autem locum suum his verbis inscripsit: „Quam multa in jure totidem verbis scripta sint." Quorum singula postea ita distinxit, ut quaedam diceret „similia a diversis Jureconsultis scripta," quaedam „ab uno libro accepta, duobus Digestorum locis scripta." Nec Pancirolus, qui de juribus**) repetitis et geminatis promiscue loquitur, geminationis vocabulo usus esse videtur. Pratejus tandem inventor cognominis extitit, cum librum suum „de geminationibus sive earundem legum repetitionibus" inscriberet. Quo tamen nomine, si recte video, tam a latini sermonis ele-

*) Fr. 31, 1 Reb. (12, 1). fr. 24, 1 A. E. (19, 1).

**) Verbum *jura* apud Pancirolum de *capitibus*, quae *leges* vulgo dicuntur accipiendum esse, jam aliunde notum est. Vid. *Hugo* civ. Mag. Tom. II, p. 278, ed. II.

gantia paullisper aberrat, quam diversa perperam confundit. Namque aliud est ipsa Jureconsultorum verba geminare, aliud sententias, si dicere fas est, geminare. Quod si quis vernacula nostra lingua iisdem appellationibus velit uti, distinguendae videntur propriae ab impropriis geminationibus, ut alteris geminata, alteris similia capita significentur.

Mirabile autem videtur, eodem tempore, et fortasse *) jam ante Pratejum, a Contio subtilius rem esse tractatam. Etenim cum in Graeco Justiniani, quem descripsimus, loco vertendo verba ἔχειν ὁμοίως non explicuisset vocabulo simile, sicut alii fecerant, sed dixisset: simile vel geminum, fortasse indicare volebat illam differentiam, quam omnes praeter Augustinum neglexerant.

## Altera sectio: De nostro instituto.

### §. 8.

Verum enim, Lopez inquit, quid nobis adjumenti adferet totus ille geminationum liber? Recte fortasse dicebat de Prateji tractatu. Neque enim, quae ad interpretationem vel emendationem Digestorum, vel etiam multa, quae ad juris historiam ex repetitis similibusque sententiis afferri possunt, propriis egent commentariis, sed multo melius suis locis inserentur. Sunt autem duae in primis res, quae suadere videntur, ut omnia geminata, ex similibus autem certe plurima colligantur. Primum enim multa hinc apparebunt, quibus rectius fieri possit judicium de via ac ratione, quam Tribonianus ejusque collegae in concinnandis Digestis secuti sunt; deinde etiam nonnisi ex diligenti singulorum comparatione intelligemus, quae fuerit veterum juris librorum indoles, quae propria cujusque Jureconsulti scribendi ratio. Sic evenit, ut nobis etiam peculiarem quandam utilitatem sperare liceat, si hoc ipso tempore diligentius de geminatis similibusque disserere instituamus; nam cum aliis commentariis, qui jam typis exscribendi curantur *), multa dixerimus tam de veterum Jureconsultorum more, non solum sua ipsorum, sed etiam aliorum verba semper novis commentariis repetendi, quam de compilatorum munere, ingentem veterum librorum molem in mediocre volumen ita contrahendi, ut nulla temere similitudo relinqueretur; hoc ipso tractatu optima dabitur occasio alterum plenius probandi, alterum illustrandi. Neque dissentiam, si hanc dissertationem partem esse illius libelli quis dixerit.

*) Nam Contius primum a. 1559 Codicem ediderat; quae tamen editio cum ad manum mihi non sit, nihil certi de illa affirmare possum.



### §. 9.

Sed ut tales redundent utilitates, differentiae

*) *Ueber die Ordnung der Fragmente in den Pandectentiteln, in Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft, herausgegeb. v. Savigny, Eichhorn u. Göschen.* Tom. IV, fascic. III.

ratio ducatur necesse est, quae tamen, ut diximus, a Pratejo nusquam fuit adhibita. Nam quod ad Triboniani de Digestis merita attinet, cum duplicem reddat Justinianus rationem eorum, quae similia forsitan inveniantur, alteram consilii, alteram negligentiae; facile intelligi potest, in geminatis omnia proposito facta esse, quicquid fabuletur Pratejus, haec pariter desidia commissa esse contendens. Atque utinam dixisset, quid sibi finxerit de modo in colligendis Digestorum capitibus observato; cogitasset fortasse de infinita librorum multitudine, cogitasset de brevi temporis spatio ad opus desperatum absolvendum relicto, et re ipsa edoctus esset, non solum non debuisse, sed nec fieri potuisse, ut singula absolvendi causa omnem librorum copiam iterum iterumque evolverent. Sed haec nunc mittere possum, cum jam ex illa, quae hodie in Digestis invenitur, capitum serie probare conatus fuerim *), ita Tribonianum cum collegis versatum esse, ut omni librorum congerie semel perlecta, quaequae utilia sibi viderentur excerpendo, ex his ipsis exceptionibus postea invicem collatis, singulos titulos conficerent.

Extant etiam singulares duae opiniones de causis, cur capita quaedam geminata inveniantur. Altera ductus est Schottius **), cui illud Triboniani consilium fuisse videtur, ut multa, quorum latior

*) Vid. diatribe: *die Ordnung der Fr.*, cap. I, et in fine cap. III.

**) *Unparth. Critik*, T. II, p. 71. 72.



explicatio ad posteriores titulos differenda esset, jam in prioribus ὡς ἐν παρόδῳ perstringerentur. Sed non vidit, longe plurima ita demum geminata esse, ut in titulis de verborum signif. et de reg. juris brevius repeterentur. Altera est Dirksenii *), qui rem inde deducere videtur, quod non pauca Digestis ita fuerint inserta, ut ei auctori adscriberentur, ex quo ab alio Jureconsulto relata invenirentur; quamquam etiam genuinus ejusdem auctoris liber alii ex compilatoribus perlegendus esset mandatus. Certe in capitibus, quae geminata viderentur, nisi exigua quaedam inscriptionum differentia impediret, **) hanc ipsam differentiam hinc irrepsisse contendit, quod alterum ex ejusmodi capitibus non ex genuino fonte, sed ex recentioribus libris haustum sit. Spectaret hoc primum ad improbitatem, deinde ad negligentiam septem et decem virorum, quibus Digesta concinnanda erant commissa. Sed cum illa ipsa improbitatis criminatio nulla speciosa ratione defendi possit, quod alio loco ostendi; ***) nec de negligentiae suspicione nunc amplius verbum faciam.

Sed alia quoque ratione omnium duplicatorum capitum comparatio multum facere videtur, si rectius de Digestis nostris existimare velis. Pauca enim extant ex geminatis capitibus, quae utroque loco omnino iisdem verbis essent reddita; pleraque omnia

*) *Civilistische Abhandl.*, 1820. 8. p. 212.

**) Quorum exempla invenientur infra cap. II, sub No. 13. 23. 32., et cap. IV, sub No. I, B.

***) Vid. diatr.: *die Ordnung der Fr.*, §. 23.

exemplis docent, quid potissimum in veterum Jureconsultorum verbis fuerit commutatum. Nec monendo opus est, quam necessarium sit, ad ejusmodi exempla confugere, cum genuina veterum Jureconsultorum loca tam pauca suppeditent, ut ex horum diligenti comparatione de ceteris conjecturam facere non liceat. Illud dicam, hac parte singulare veluti debitum mihi esse solvendum, cum etiam in his ipsis mutationibus differentias quasdam hominum, qui concinnandis Digestis interfuerunt, apparere dixerim; *) neque enim tunc de geminatis capitibus tacere licuisset, nisi de his specialiter proponendis cavissem.

Sed in capitibus, quae non geminata, sed similia dicenda sunt, diversa causa apparet. Etenim, consulto admissa sint, necne, generaliter definiri non potest, sed ex singulorum qualitate debet aestimari. Illud fortasse dici poterit, saepissime in his humanum passos videri compilatores. Nam cum alio, de quo dictum est, libello ostenderim, **) omnia Digestorum capita, si ex inscriptionibus capitum series indagetur, in tres librorum, unde excerpta sunt, classes esse digerenda; deinde necessarium esse, ut illas librorum classes a diversis etiam Triboniani sociis in epitomen redactas esse arbitremur, ita ut quid ex diversis classibus simile extaret, non statim potuerit intelligi, sed tum demum, cum omnia, quae ex singulis classibus collecta erant, sibi invicem conjungerentur; nunc videbimus, pauca in similibus ex una eademque librorum classe descendere, sed longe plurima ex diversis classibus, quarum comparatio difficillima erat. Jam vero in similibus, et quidem solis in his, alterum illud, de quo diximus, quod ad historiam juris Romani antiqui pertinet, apparebit. Apparebit, inquam, saepissime a veteribus Jureconsultis eadem verba fuisse repetita.

*) Vid. diatr.: *die Ordn. der Fragm.* §. 16.

**) Vid. diatr.: *die Ordn. der Fragm.*, cap. I.



## §. 10.

Quae cum ita sint, paucis demonstrari posse confido, quae ratio in ipso instituto servanda videatur. Nam geminata capita a similibns esse separanda, res ipsa docet; quamobrem de illis capite secundo, de his capite tertio dicebimus. Deinde in singulis geminatis digerendis eum ordinem servabimus, secundum quem in ipso epitomandi negotio veteres libros dispositos fuisse contendimus. Quamobrem primo loco omnia ponemus, quae ex illa librorum classe, quam Sabinianam vocavimus, descendunt, servato etiam interno ejusdem classis tenore; deinde circa Edictalem, denique circa Papinianeam, quam appellavimus, classem, eandem rationem sequemur. Sed cum tria vel quatuor capita extent, quae tum demum duplicata videntur, cum omnium classium fieret collatio, sicut ex proximis cuique capitibus, quae ex diversis classibus descendunt, facile apparet; haec ipsa addita litera (*d*) notabimus, ne perperam in singularum classium comparationem adhibeantur. Cumque Justinianus dicat, earundem legum repetitiones ideo inveniri, quia sub diversis

titulis ejusmodi leges necessariae fuerint visae; quatuor capita, quae vel eodem titulo geminata reperiuntur, ab omnibus ceteris separabimus. Habet enim singularitatem quandam non solum res ipsa, sed etiam illud, quod de his omnino non dixerit Justinianus; quanquam difficile non sit, ex indole proximorum cuique capitum causam repetendi perspicere. Neque enim Mureto *) assentior, qui certe his casibus Triboniani negligentiam luce clariorem esse contendit. Quodsi de similibus locutus esset, concederem ei fortasse, magnum esse desidiae indicium, si frustra talibus sententiis idem titulus refertus inveniatur, quod v. g. accidit in fr. 8. et fr. 39. de usuris (22, 1). In geminatis vero omnia consulto facta esse, nemo negabit, donec eosdem veterum Jureconsultorum libros iterum iterumque fuisse perlectos probetur. Unum tantum ex quatuor illis capitibus extat, in quo fortasse de negligentia quodammodo suspicari licet; nam cum verisimile sit, fr. 18. R. J. (42, 1) ab initio sub alio titulo fuisse collocatum, quam sub quo nunc est **); fieri potuit, ut postea nec Tribonianus, nec socii ejus viderent, eadem verba jam in fr. 6 pr. nostri tituli fuisse posita. Quod autem Justinianus haec omnino praetermittit, nihil obstat, cum de tribus aut quatuor capitibus in generali de confirmandis Digestis edicto specialiter monere ridiculum potius, quam necessarium videatur esse.

Jam vero in similibus omnia aliter se habent.

*) Obss. cap. 4. (in *Otton.* thesaur. Tom. IV, p. 135. 136.)

**) Vid. diatr.: *die Ordn. d. Fr.*, §. 11. sub No. 13.



Nam cum de compilatorum diligentia major existat dubitatio, nec a tribus veterum librorum classibus sufficiens digerendi ratio repeti posse videatur, satius erit, ad ipsos veteres Jureconsultos redire. Quamobrem capite tertio dicam primo de similibus ejusdem auctoris capitibus, servato inter singulos Jureconsultos ordine alphabetico. Postea videbimus de diversis auctoribus, quorum recentiorem semper primo, antiquiorem secundo loco nominabimus, exceptis iis capitibus, in quibus certum est, alterum ex altero non esse exscriptum. In singulis autem ejusdem auctoris libris dignitatis atque praestantiae rationem habebimus, id quod in Ulpiani libris optime apparebit. Praeterea, ut notum sit, utrum ad diversas classes duo similia capita pertineant, an vero utrumque ex Sabiniana, sive Edictali, sive Papinianea librorum classe descendat, cuique similitudini addemus literam *D*, vel *S*, vel *E*, vel *P*; sub fine autem capitis tertii calculi ratione efficietur, quam longe plurima ex diversis classibus similia supersint.

Sed in geminatis capitibus, quo melius de mutationibus a Triboniano inductis fieri possit judicium, ipsa verba exscribenda curabimus, et quae nunc diversa apparent, literarum etiam differentia signanda. Quod cum in similibus minor utilitatis spes non aeque suadeat, ipsa autem rerum copia ac moles vel etiam prohibeat; satius videbitur, quae ex his graviora apparebunt, asterisco * notare, duobus autem asteriscis **, quae vel gravissima erunt exempla.

Quam multa denique sint, quae nova nostris indicibus adjecimus, videri potius, quam audiri debet.

Certe in similibus difficile erat, finem invenire, ne omnia, quae non tam verbis, quam sola re consentirent, adducere cogeremur. Sufficiat si plurima ex gravioribus exemplis collegisse videamur. In geminatis vero, utinam nihil omnino praetermissum constaret! Quodsi unum alterumve (neque enim plura esse possunt) vel nunc oculos manusque fugerit, qui mihi latitantis indicium fecerit, is me maximo beneficio obstrictum habebit. Magnam autem spem mihi injecerunt, quae clarissimi viri Tubingenses in nova, quam parant, juris civilis recensione se facturos promiserunt, ut in omnibus, quae nunc parallela loca nuncupari solent, commemorandis per siglas adjectas indicetur, utrum quaeque diversorum capitum similitudo ad solum verborum sensum pertineat, an vero ad ipsa verba. Quodsi hoc, quod difficilius est, non detrectaverint, reipsa promittere videntur, se etiam omnes singulorum capitum geminationes aliis siglis esse demonstraturos. Decennio igitur peracto, liber ille, quem nos omnes tantopere exoptamus videre, etiam hac in re omne dubitationis residuum nobis auferet, et perfectissimis tam similium quam geminatorum capitum indicibus conficiendis praebebit materiam.

---



# Caput Secundum.

## De geminatis capitibus.

Sectio Prima: De capitibus, quae sub eodem Digestorum titulo a compilatoribus geminata videmus.

---

1. (d) Ex Ulpiani lib. 33 ad Edictum.
   fr. 24, 4. S. M. (24, 3). Si vir voluntate mulieris, servos dotales manumiserit, si quidem donare ei mulier voluit, nec de libertatis causa impositis ei praestandis tenebitur.
   fr. 62 eod. Quodsi vir ... manumiserit, cum donare ... tenebitur.
   [cf. cap. III, sub No. 48.]

2. Ex Ulpiani lib. 18 ad Edictum.
   fr. 17, 1. Aquil. (9, 2). (Si conjunctim duobus legetur Stichus, et alter eorum occisum repudiaverit; puto conjunctum solum posse Aquilia agere;) quia retro accrevisse dominium ei videtur.
   fr. 35 eod. Quia retro ..... ei videretur.
   [cf. cap. III, sub No. 109.]

3. Ex Ulpiani lib. 66 ad Edictum.
   fr. 6 pr. R. Jud. (42, 1). Miles, qui sub armata militia stipendia meruit, condemnatus, eatenus qua facere potest, cogitur solvere.

fr. 18 eod. Item miles ..... eatenus quatenus facere ... solvere.

[vid. cap. I, §. 10 med.]

4. Ex Ulpiani lib. 75 ad Edictum.

fr. 7 pr. E. R. J. (44, 2) ... (nec interest, utrum in corpore hoc quaeratur, an) in quantitate, vel in jure.

fr. 13 eod. Quantitas eadem, idem jus.

[In his quidem quatuor capitibus non illud dico, omnia esse ex Ulpiani libris ad Edictum, sed illud, posteriora tria ad eam librorum classem pertinere, quam Edictalem vocavimus. Ex quo consequitur, ut qui ex compilatoribus ceterorum librorum perlegendorum munus habebant, necessarium non duxerint, eodem titulo eadem capita repetere. Nam quartum istud caput, quod ad Sabinianam classem pertinet, tum demum geminatum est, cum jam ab omnibus collectae excerptiones sibi invicem conjungerentur; quod ex inscriptione fr. 61 et 63. S. M. (24, 3) facile patet.]

---

Altera sectio: De capitibus, quae sub diversis titulis duplicata inveniuntur.

---

A. *Ex Sabiniana librorum classe haec duodecim descendunt capita.*

5. Ulpianus lib. 25 ad Sabinum.

fr. 55, 7—10 Leg. III. (32). (Si lignum sit paratum ad carbones coquendas, atque conficiendas,) ait Ofilius lib. 5 juris partiti, carbonum appellatione hujusmodi materiam non contineri. Sed an lignorum? et fortassis quis dicet: nec lignorum; non enim lignorum gratia haec testator habuit. Sed et titiones, et alia ligna cocta ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? Et magis est, ut proprium genus habeatur. §. 8. Sulphurata quoque de ligno aeque eandem habebunt definitionem. §. 9. Ad faces quoque parata, non erunt lignorum appellatione comprehensa; nisi haec fuit voluntas. §. 10. De pinu autem integri strobyli, ligni appellatione continebuntur.

fr. 167 V. S. (50, 16.) Carbonum appellatione [1]) materiam ..... lignorum gratia [2]) habuit .... voluntas. Idem et de nucleis olivarum, sed et de balanis, et vel si qui alii nuclei. De pinu .... strobili [3]) ... continebuntur.

[1]) Hal. inserit: *ait Ofilius.* 2) *testator habuit* Lugd. 1575. *haec habuit* notat Dion. Gothofr. 3) *strobyli* Hal.]

6. Paulus lib. 4 ad Sabinum.

fr. 56 Leg. III (32). Pali et perticae in numerum materiae redigendi sunt, et ideo lignorum appellatione non continentur.

fr. 168 V. S. (50, 16). Pali .... continentur.

7. Paulus lib. 35 ad Edictum.

fr. 3 Divort. (24, 2). (Divortium non est, nisi verum, quod animo perpetuam constituendi dissensionem fit,) Ita quidquid in calore iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit, judicium animi

fuisse; ideoque, per calorem misso repudio, si brevi reversa uxor est, nec divortisse videtur.

fr. 48 R. J. (50, 17). Quidquid in calore ... ideoque brevi reversa uxor, nec divortisse videtur.

8. Ulpianus lib. 39 ad Edictum.

fr. 8 Off. Procons. (1, 16). Et ideo majus imperium in ea provincia habet omnibus, post principem.

fr. 4 Off. Praes. (1, 18). Praeses provinciae majus .... principem.

9. Ulpianus lib. 45 ad Edictum.

fr. un. pr. B. P. test. mil. (37, 13). (Non dubium est ... obiissent); quamquam enim distet condicio militum ab his personis, quas constitutiones principales separent, tamen qui in procinctu versantur, cum eadem pericula experiantur, jura quoque eadem merito sibi vindicant. Omnes igitur omnino, qui ejus sunt condicionis, ut jure militari testari non possint, si in hosticolo [1]) deprehendantur, et illic decedent, [2]) quomodo velint, et quomodo possint, testabuntur, sive Praeses quis sit provinciae, sive Legatus, sive quis alius, qui jure militari testari non potest.

fr. 44 T. M. (29, 1). Rescripta principum ostendunt, omnes omnino, qui ejus sunt gradus, ut jure ..... in hostico deprehendantur, et



illic decedant, ..... quomodo possint, testari; sive Praeses sit .... potest.

[1) Hal. *hostico.* 2) Hal. et Vulg. *decedant.*]

10. Gajus lib. 17 ad Ed. Prov.

fr. 1, 1. Test. quemadm. (29, 3). (Ratio autem hujus Edicti manifesta est.) Neque enim sine judice transigi, neque apud judicem exquiri veritas de his controversiis, quae ex testamento proficiscerentur, aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti.

fr. 6 transact. (2, 15). De his controversiis, quae ex ... proficiscuntur, neque transigi neque exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti.

11. Ulpianus lib. 1 de omnibus tribunalibus.

fr. 4 Off. Praet. (1, 14). Praetor neque tutorem, neque specialem judicem ipse se dare potest.

fr. 5 Off. Praes. (1, 18). Praeses provinciae non magis tutorem, quam specialem ... potest.

[cf. cap. III, sub No. 54.]

12. (d?) [1]) Gajus lib. 3 Rer. cottidian. s. aureor.

fr. 5, 4 O. A. (44, 7). Si judex litem suam fecerit, non proprie ex maleficio obligatus videtur; sed quia neque ex contractu obligatus est, utique [2]) peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam; ideo videtur quasi ex maleficio teneri.

fr. 6 Extr. Cogn. (50, 13). Si judex ... obligatus

est, et utique peccasse . . . teneri in factum actione, et in quantum de ea re aequum religioni judicantis visum fuerit, poenam sustinebit. [3])

[1]) vid. diatr.: *die Ord. d. Fragm.* §. 11, sub no. 10. [2]) Hal.: *et peccasse*, Cod. Rehd.: *et utique peccasse*. [3]) Haec verba a compilatoribus esse adjecta, vix est ut dubitemus.]

13. Ulpian. lib. 1 de officio Proconsulis.

fr. 6 pr. Off. Proc. (1, 16) . . . (sed hoc genus mandati extraordinarium est); nec enim potest quis gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coercitionis, ad alium transferre; (nec liberandi igitur reos jus, cum accusari apud eum non possint.)

fr. 70 R. J. (50, 17). Nemo potest gladii . . . transferre.

14. Ulpianus lib. 2 de officio Proconsulis.

fr. 9, 1 Off. Proc. (1, 16). [1]) (Ubi decretum necessarium est, per libellum id expedire Proconsul non poterit); omnia enim quaecunque causae cognitionem desiderant, per libellum non possunt expediri.

fr. 71 R. J. (50, 17). Omnia quaecunque . . . libellum expediri non possunt.

[1]) Hujus capitis inscriptionem Florentiae mendosam esse, demonstrare studui in diatr.: *die Ordnung der Fragm.*, §. 26, sub no. 1.]

15. Gajus lib. sing. de formula hypothecaria.

fr. 4 Pign. (20, 1). (Contrahitur hypotheca per pactum conventum, cum quis paciscitur,) ut res ejus propter aliquam obligationem sint hypothecae nomine obligatae. Nec ad rem pertinet, quibus fit verbis; sicuti est et in his obligationibus, quae consensu contrahuntur; et ideo et sine scriptura si convenit, ut hypotheca [1]) sit, et probari poterit, res obligata erit, de qua conveniunt. Fiunt enim de his scripturae, ut quod actum est, per eas facilius probari possit; et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem; sicut et nuptiae sunt, licet testationes in scriptis habitae non sunt.



fr. 4 Fide Instrum. (22, 4). In re hypothecae nomine obligata, ad rem non pertinet . . . . ut hypothecae sit, . . . licet testatio sine scriptis habita est.

[1]) Hal. hypothecae.]

16. Javolenus lib. 3 ex posteriorib. Labeonis.

fr. 49 Usur. (22, 1). Fructus rei est, vel pignori dare licere.

fr. 72 R. J. (50, 17). Fructus — licere.

---

B. *Sequuntur ex Edictali librorum classe octo et triginta capita geminata.*

17. Paulus lib. 1 ad Edictum.

fr. 21 Jus Voc. (2, 4). (Sed etsi is, qui domi est, interdum vocari in jus potest; tamen) de domo sua nemo extrahi debet.

fr. 103 R. J. (50, 17). Nemo de domo sua extrahi debet.

18. Ulpianus lib. 6 ad Edictum.

fr. 1, 5 Postul. (3, 1). Quamvis autem caecus pro alio postulare non possit, (tamen et Senatorium ordinem retinet, et) judicandi officio fungetur. [1])

fr. 6 Jud. (5, 1). Caecus judicandi officio fungitur.

[1) Hal. et Vulg.: *fungitur.*]

19. Ulpianus lib. 6 ad Edictum.

fr. 4, 4 Infam. (3, 2). (Calumniator ita demum notatur, si fuerit calumniae causa damnatus; neque enim sufficit calumniatum. Item praevaricator.) Praevaricator autem est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat prodita causa sua. Quod nomen Labeo a varia certatione tractum ait. Nam qui praevaricatur, ex utraque parte constitit, quinimmo ex adversa.

fr. 1 pr. §. 1 Praevar. (47, 15). Praevaricator est ..... quinimmo ex altera. §. 1. Is autem praevaricator proprie dicitur, qui publico judicio accusaverit. . . .

[cf. cap. III, sub no. 46.]

20. Ulpian. lib. 10 ad Edictum.

fr. 10 Jud. (5, 1). Destitisse * is * videtur, non qui distulit, sed qui liti renunciavit in totum, (desistere enim est, de negotio abstinere, quod calumniandi animo instituerat).

fr. 21 Minor. (4, 4). Destitisse autem is videtur — in totum.

[cf. etiam cap. III, sub. no. 149.]



21. Paulus lib. 10 ad Edictum.

fr. 2 pr. Calumn. (3, 6). Quin etiam, si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse.

fr. 115 pr. R. J. (50, 17). Si quis ..... cepisse.

22. Ulpian. lib. 13 ad Edictum.

fr. 4, 1 Al. J. M. (4, 7). (Potest autem aliquis dolo malo desinere possidere, nec tamen judicii mutandi causa fecisse, nec hoc Edicto teneri;) neque enim alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

fr. 119 R. J. (50, 17). Non alienat .... possessionem.

23. Ulpian. lib. 15 ad Edictum.

fr. 13, 8 H. P. (5, 3). (Si quis sciens alienam emit hereditatem, quasi pro possessore possidet, et sic peti ab eo hereditatem quidam putant; quam sententiam non puto veram). Nemo enim praedo est, qui pretium numeravit.

fr. 126 R. J. (50, 17). Nemo praedo — numeravit.

24. Ulpian. lib. 16 ad Edictum.

fr. 10, 2 Usurp. (41, 3). (Scaevola lib. 11 Quaestionum scribit, (Marcellum existimasse. ... Scaevola autem scribit, se putare, usucapere posse et partum); nec enim esse partum rei furtivae partem.

fr. 26 V. S. (50, 16). Partum non esse partem rei furtivae, Scaevola libro undecimo Quaestionum scribit.

25. Ulpianus lib. 18 ad Edictum.

fr. 130 R. J. (50, 17). Nunquam actiones, prae-

s e r t i m poenales, de eadem r e concurrente alia aliam consumit.

fr. 60 O. A. (44, 7). [1] Nunquam actiones poenales de eadem p e c u n i a concurrentes alia aliam consumit.

[1] Quamquam Florentiae huic capiti inscriptum sit: *Ulpianus lib.* 17 *ad Edictum*, tamen quin ex libro 18 excerptum sit, dubitari non potest. Neque enim solum ex cap. 130 cit. hoc probari videtur, sed etiam ex eo, quod Ulpianus lib. 17. de servitutibus dixerat, lib. vero 18 de noxalibus actionibus, cum quibus nostrum caput multo propius cohaeret, quam cum illis. Facile autem fieri potuit, ut hujus capitis inscriptio corrumperetur; nam ex loco, quem hodie in capitum serie obtinet, videmus, non ab initio sub hoc titulo positum fuisse, sed postea, cum jam ipsi veterum Jurisconsultorum libri essent repositi. Quid? quod Pisana litera etiam Codicum Mss. auctoritate infirmetur? Nam in vetustissimo, qui Lipsiae in bibliotheca Senatus extat, codice scriptum inveni: *Ulpianus lib. XVI. ad Edictum.*]

26. (d) Ulpian. lib. 25 ad Edictum.

fr. 6, 1 Rel. (11, 7). (Si κενοτάφιον sit, posse hoc venire, dicendum est;) n e c e n i m e s s e h o c r e l i g i o s u m, Divi Fratres rescripserunt.

fr. 7 Div. rer. (1, 7). S e d Divi Fratres c o n t r a rescripserunt.

27. Ulpian. lib. 25 ad Edictum.

fr. 14, 1 Religios. (11, 7). . . . (Sed si adita fuerit postea hereditas, res emtori auferenda non est;) q u i a bonae fidei possessor est, e t d o m i n i u m h a b e t, qui auctore judice comparavit.

fr. 137 R. J. (50, 17). Qui auctore judice comparavit, bon. f. poss. est.



28. Paulus lib. 54 ad Edictum.

fr. 14 Legib. (1, 3). Quod v e r o contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.

fr. 141 pr. R. J. (50, 17). Quod contra — consequentias.

29. Paulus lib. 62 ad Edictum.

fr. 78 pr. V. O. (45, 1). (Si filiusfamilias sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde exstiterit conditio, patri actio competit) q u i a in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

fr. 144, 1 R. J. (50, 17). In stipulationibus . . . contrahimus.

30. Ulpian. lib. 66 ad Edictum.

fr. 6, 9 Fraud. Cred. (42, 8) . . . (non videri in fraudem creditorum fecisse); nemo e n i m videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt.

fr. 145 R. J. (50, 17). Nemo videtur . . . consentiunt.

31. Ulpian. lib. 68 ad Edictum.

fr. 2, 42 Ne quid in loco publico (43, 8). (Hoc interdictum locum habet etiam adversus eum, qui dolo malo fecit, quo minus possideret, vel haberet); e t e n i m parem esse conditionem oportet ejus, qui quid possideat, vel habeat, atque ejus, cujus dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

fr. 150 R. J. (50, 17). Parem . . . haberet.

32. Ulpian. lib. 69 ad Edictum.

fr. 1, 12 Vi armata (43, 16). D e j e c i s s e autem

etiam is videtur, qui mandavit, vel jussit, ut aliquid dejiceretur.

fr. 152, 1 R. J. (50, 17). Dejicit et qui mandat.

33. Ulpian. lib. 69 ad Edictum.

fr. 1, 14 Vi arm. (43, 16) . . . (rectius enim dicitur,) in maleficio ratihabitionem mandato comparari.

fr. 152, 2 R. J. (50, 17). In maleficio ratihabitio mandato comparatur.

[cf. etiam cap. III, sub no. 44.]

34. Paulus lib. 65 ad Edictum.

fr. 153 R. J. (50. 17). (Fere quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur; cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus.) Ut igitur nulla possessio adquiri, nisi animo et corpore potest; ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum [1]).

fr. 8 Poss. (41, 2). Quemadmodum nulla possessio . . . . contrarium actum est.

[1) *actum est*, Hal. Vulg. *in contrarium est*, Cod. Rehd.

35. Ulpian. lib. 69 ad Edictum.

fr. 10 Poss. (41, 2). Si quis et conduxerit, et rogaverit precario, uti possideret, si quidem nummo uno conduxit, nulla dubitatio est, quin ei precarium solum teneat; quia conductio nulla est, quae est uno nummo; (sin vero pretio, tunc distinguendum, quid prius factum est.)

fr. 46 Loc. (19, 2). Si quis conduxerit nummo uno, conductio nulla est; quia et hoc donationis instar inducit.

[Postrema verba ad emblemata Triboniani pertinere videntur.]

36. Ulpian. lib. 70 ad Edictum.

fr. 1, 4 Superf. (43, 18). (Plane si adversus superficiarium velit vindicare, dicendum est, exceptione utendum in factum data); nam cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit.

fr. 156, 1 R. J. (50, 17). Cui damus actiones [1]), eidem et exceptionem . . . dixerit.

[1) Hal., Vulg.: *actionem.*]

37. Ulpianus lib. 70 ad Edictum.

fr. 3, 2 Itin. actuque (43, 19). (Si vi, aut clam, aut precario ab eo sit usus, in cujus locum haereditate, vel emtione, aliove quo jure successi, idem esse dicendum): cum enim successerit quis in locum eorum, aequum non est, nos noceri hoc, quod adversus eum non nocuit, in cujus locum successimus.

fr. 156, 2 R. J. (50, 17). Cum quis in alii locum successerit, non est aequum, ei nocere hoc, quod adversus eum nocuit, [1]) in cujus locum successit.

[1) Al. *non nocuit.*]

38. Ulpian. lib. 71 ad Edictum.

fr. 11, 7 Vi clam (43, 24). An ignoscitur servo, qui obtemperavit tutori, aut curatori? Nam ad quaedam, quae non haben:

atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his qui vice dominorum sunt, obtemperaverint. (Quod et in hoc casu admittendum est.)

fr. 157 pr. R. J. (50, 17) [1]. Ad ea, quae non .... dominorum sunt (veluti tutoribus et curatoribus) obtemperaverint.

[1) In Cod. Flor. scriptum erat: *lib. 70 ad Ed.*; sed jam ab antiquo librario emendatum fertur.]

39. Paulus lib. 69 ad Edictum.

fr. 7 Si quis caution. (2, 11). (Si quis servum in judicio sisti promiserit .... iisdem exceptionibus utitur, quibus si pro libero .... fidejussit; praeterquam si reipublicae causa abesse diceretur servus); nam servus reipublicae causa abesse non potest.

fr. ult. R. J. (50, 17). Servus .... potest.

40. Paulus lib. 70 ad Edictum.

fr. 14, 2 E. R. J. (44, 2). (Cum in rem ago, non expressa causa, ex qua rem meam esse dico; omnes causae una petitione adprehenduntur); neque enim amplius, quam semel, res mea esse potest; saepius autem deberi potest.

fr. 159 R. J. (50, 17). Non ut ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse.

41. (d.) Ulpian. lib. 79 ad Edictum.

fr. 7, 1, Usufr. caveat. (7, 9). (Cum ususfructus pecuniae legatus esset, exprimi debent hi duo casus in stipulatione: cum morieris, aut capite minueris, dari. Idcirco hi duo soli casus), quoniam pecuniae usus aliter amitti non potest, quam his casibus.



fr. 10 Usu consumuntur (7, 5). Quoniam .... casibus.

[cf. cap. III, sub no. 151.]

42. Ulpian. lib. 1 ad Ed. Aedilium.

fr. 17, 1 Aed. Ed. (21, 1). (Caelius autem fugitivum esse ait eum, qui ea mente discedat, ne ad dominum redeat, tametsi mutato consilio ad eum revertatur;) nemo enim tali peccato poenitentia sua nocens esse desiit.

fr. 65 Furt. (47, 2) (Qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucrifaceret, tamesti mutato consilio id domino postea reddidit, fur est); nemo enim .... esse desinit.

43. Paulus lib. 51 ad Edictum.

fr. 19 Liberal. (40, 12) Vel permutavit, vel compensavit eo nomine; nam et is dedisse intelligendus est.

fr. 76 V. S. (50, 16). Dedisse intelligendus est etiam is, qui permutavit vel compensavit.

---

44. Paulus lib. 6 ad Plautium.

fr. 19, 1 R. Jud. (42, 1) Is quoque, qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur. .... Imo nec totum, quod habet, extorquendum

ei puto; sed et ipsi [1]) ratio habenda est, ne egeat.

fr. 173 pr. R. J. (50, 17) In condemnatione personarum, quae in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est; sed et ipsarum ratio habenda est, ne egeant.

[1) Taurell. in marg., Hal, Rehd.: *ipsius.*]

45. Paulus lib. 6 ad Plautium.

fr. 8 pr. Doli (44, 4). Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

fr. 173, 3 R. J. (50, 17) Dolo . . . . est.

46. Paulus lib. 17 ad Plautium.

fr. 3 fin. Pars Her. (5, 4) (Prudentissime juris auctores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non rarum admodum potest, intuerentur; id est, quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio adsignaverint.) τὸ γὰρ ἅπαξ, ἢ δὶς, ut ait Theophrastus, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται.

fr. 6 Legib. (1, 3) τὸ γὰρ . . . . νομοθέται.

47. Marcellus lib. 3 Digestorum.

fr. 7 pr. Int. rest. (4, 1) (Divus Antoninus Marcio Avito praetori de succurrendo ei, qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit): etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi aequitas evidens poscit, subveniendum est.

fr. 183 R. J. (50, 17) Etsi nihil . . . . subveniendum est.

48. Celsus lib. 20 Digestorum.

fr. 21 fin. leg. II. (31) . . . . etenim reddendi verbum, quamquam significationem habeat retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem.



fr. 94 V. S. (50, 16) Verbum reddendi, quanquam . . . . habet retro dandi, . . . . significationem.

49. Marcellus lib. 29 Digestorum.

